Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1885

Quelle:
Copyright:

fert, et inter Errorum Magiſtros etiam *Servetum*, *Blandratam*, *Ochinum* et *Franc. Davidis* commemorat. Nervoſa eſt ad *Rudolphum* Imp. Peroratio.

II. *fol.* 53. Verſio germanica hoc Titulo: *Libellus von den ketzeriſchen büchern vnnd Schrifften, dieſelben zu vermeiden vnndt zu verwerffen aus lateyniſcher ſprache verdeutſchet vnnd geſchriben Durch den hochgelerten Hern Petrum Ilicinum beyder Rächten Doctor vnndt Can. zu Ollomutz. Anno ſalutis* 1577. En igitur Συμβολην ad Scripta Viri mihi ignotam, dum de eo in *Hiſt. Typogr. Vien.* P. II. p. 481. commentarer, ubi nec illud mihi ſuccurrit, inſerendum Eum procul dubio illuſtri Stirpi Delciorum *(d'Elce, Ilex)* Senenſium, quae in *Hetruria* etiamnum floret.

CCCCLXXVIII.

631 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XVI. Folior. 180. 4. complectitur Sermones Sacros de praecipuis Temporum Controverſiis a *Gerardo Gemer Trevirenſi*, qui *Erneſto Auſtriae* Archiduci *Rudolphi* Imp. Fratri a. 1595. defuncto a Sacris fuit, e Scriptis et Concionibus, ut in *Praef.* dicitur, *Reuerendiſſimi Neapolitani Præſulis* in compendium redactos. Praeſulem hunc non alium arbitror, quam *Melch. Kleſelium Neoſtadienſis* in *Auſtria* Sedis primum Adminiſtratorem, dein Antiſtitem, virum in Seculi ſui Hiſtoria notiſſimum. Operam porro ſuam *Gerardus* dicat *Rudolpho* Imp. gravi Praeloquio, in quo inter alia: *compendiaria via demonſtratur primum vera Definitio noſtræ coram Deo Iuſtificationis, fideique iuſtificantis; tum quæ ſint iſtius teſtimonia και χειτηρια, nempe obedientia fidei et Sacramentorum religioſa vſurpatio: circa quæ potiſſimum tota ſalutis acquirendæ doctrina verſatur.* Atque haec *Concionibus* XXXV. abſolvuntur, quarum XIV. de *Iuſtificatione*, II. de *Baptiſmo*, IV. de *Confirmatione*, IV. de *Poenitentia*, I. de *Euchariſtia*, V. de *Liturgia* ſeu de *Miſſa*, I. de *Feſto Corporis Chriſti*, cui ſubjecta Inſtructio de ratione communicandi ſub una vel duplici Specie, IV. de ordinatoria *Manus impoſitione;* omnes vero Thema ex *Actis Apoſtolorum* mutuantur, egregiamque cum linguae Graecae, et ſacrae Antiquitatis, tum novarum in Religione diſſenſionum cognitionem produnt. Quae germanice admixta ſunt, procul dubio ad Epitomatorem *Gemerum* pertinent, de quo aliud nil compertum habeo.

CCCCLXXIX.

Codex chartaceus lat. germ. 632 Sec. XVI. Folior. 178. 4. eosdem Sermones eadem nitida manu exaratos exhibet, eo ſolum diſcrimine, quod hic a *Gemero* inſcribantur Domino ſuo *Erneſto* Archiduci. Lubet e fine Praefationis quaedam adtexere. *Vt*